33)	*De arbore peredixion.*	*Paredixion.*
34)	„ *elephanto.*	*Del olifant.*
35)	„ *amos propheta.*	—
36)	„ *adamante.*	*Del Aimant.*
37)	„ *mirmicolion.*	—

Nach dem Inhaltsverzeichnisse setzt der Schreiber von Reg. 2 C. XII noch hinzu: „*Sunt omnes triginta VII expliciunt capitula. (p)rima virtus* (sc. leonis) *cap.* I.“ Die Hs., aus Pergament, stammt aus dem XIII. Jahrhundert. Ausser dem an letzter Stelle stehenden Bestiarius enthält sie noch diese Schriften:

1) Commentarius in Cantica Canticorum. Fol. 1^a—72^b.

2) Isidori Hispalensis Episcopi Commentarii in Pentateuchum, Josuam, Judices, Ruth et Regum 4 Libros. Fol. 73^a—132^b.

Ich lasse nun den Wortlaut dieses Bestiarius getreu nach der Handschrift folgen und bemerke dazu, dass ich mir Änderungen nur in wenigen, ausdrücklich hervorgehobenen Fällen erlaubt habe. Auch die Interpunktion schliesst sich möglichst eng an die der Handschrift an.

B. Text der Quelle.

(fol. 133a) **I. De natura leonis, bestiarum seu animalium regis.**

Etenim Iacob benedicens filium suum Iudam ait (Gen. 49, 9): „Catulus leonis Iudas filius meus, quis suscitabit eum?“ Fisiologus dicit tres naturales habere leonem.

Prima: ambulat in montibus, et si contigerit, ut queratur a venatoribus, venit odor venatoris et de cauda sua post tergum cooperit vestigia sua quocumque ierit, ut secutus venator per vestigia eius non inveniat cubile eius, et capiat eum.

Sic et Salvator Noster „spiritualis leo de tri*(2. Reihe)*bu Iuda, radix Iesse, filius David“ (Apoc. 5, 5), missus a superno patre, cooperuit intelligentibus vestigia deitatis sue. Et hoc est: factus est cum angelis angelus, cum archangelis archangelus, cum thronis thronus, cum potestatibus potestas, donec descendit in uterum virginis, ut salvaret hoc quod erraverat humanum genus. Ex hoc ignorantes eum ascendentem ad patrem hi qui sursum erant angeli, dicebant ad eos qui cum Domino ascendebant (Ps. 24, 8 f.): „Quis est iste rex glorie?“ Responderunt illi: „Dominus virtutum ipse est rex glorie.“

(Secunda natura). Cum dormierit, oculi eius vigilant, aperti enim sunt, sicut in Canticis Canticorum testatur sponsus dicens (Hohes Lied 5, 2): „Ego dormio et cor meum vigilat.“ Ethimo-

Digitized by Google

logus[1]): Dominus meus obdormiens in cruce et sepultus, deitas eius vigilabat. „Ecce non dormiet qui custodit Israel“ (Ps. 121, 4).

(Tercia natura). Cum leena parit catulum, generat eum mortuum et custodit eum mortuum tribus diebus, donec veniens pater eius die tercio insufflet in faciem eius et vivificet eum.

Sic omnipotens pater Dominum Nostrum Iesum Christum filium suum tercia die suscitavit a mortuis, dicente Iacob (4. Mos. 24, 9): „Dormitabit tanquam leo, et sicut catulus leonis. Quis suscitabit eum?“

(Ethimologia).

Bestiarum vocabulum proprie convenit leonibus, pardis, vulpibus, tygribus, lupis et simiis, ursis et ceteris, que vel ore, vel unguibus seviunt, exceptis serpentibus. Bestie autem dicuntur a vi qua seviunt.

Is. Et. XII, II, 1 (Ar. IV, 50 f.).

Fere appellantur, eo quod naturali utuntur libertate et desiderio suo ferantur. Sunt enim libere eorum voluntates, et huc atque illuc vagantur, et quo animus duxerit, eo feruntur.

Is. Et. XII, II, 2 (Ar. IV, 51).

Leonis vocabulum ex greca origine inflexum est in latinum. Grece enim leon *(fol. 133[b] 1)* vocatur, et ex parte corrumpitur. Leena vero a leone, sicut dicitur dracena a dracone. Leo autem grece, latine rex interpretatur, eo quod princeps sit omnium bestiarum.

Is. Et. XII, II, 3 (Ar. IV, 51).

Cuius genus tripharium dicitur, e quibus breves [sunt] et iuba crispa, et sunt imbelles; longi et coma simplici acres. Animos eorum frons et cauda indicat, et virtus eorum in pectore, firmitas in capite. Septi a venatoribus venabulis terrentur. Rotarum timent strepitus et magis ignes, et cum timeantur ab omnibus, gallum timent album.

Is. Et. XII, II, 4 (Ar. IV, 51).

Cum dormit, oculi eius vigilant. Cum ambulat, cauda operit (sic! cooperit) vestigia sua. Cum parit catulum, tribus diebus et tribus noctibus fertur dormire, donec advenientis patris rugitu et fremitu tremefactus excitetur.

Is. Et. XII, II, 5 (Ar. IV, 51).

Et partem nature leonis homo fertur habere, quia nisi lesus facile non irascitur. Patet enim eorum misericordia assiduis exemplis. Prostratis enim parcunt, captivos obvios repedare permittunt, hominem non nisi magna fame perimunt.

Is. Et. XII, II, 6 (Ar. IV, 51 f.)

II. (De antalops). (capitulum II.)

Est animal acerrimum nimis, ita ut nec venator possit ei appropinquare. Habet autem longa cornua serre figuram habentia, ita ut

[1]) Corruptel für: Etenim corporaliter.

Digitized by Google

possit etiam arbores altas et magnas secare et ad terram deponere. Et cum sitit, venit ad magnum flumen eufraten, et bibit. Est autem ibi frutex qui dicitur grece herecine, habens virgulta subtilia atque prolixa. Veniens autem incipit ludere cornibus suis ad herecinam, et dum ludit, obligat cornua sua in virgultis eius. Cum autem diu pugnans liberari non potest, exclamat voce magna. Audiens autem venator vocem eius, venit et occidit eum.

Sic et tu, homo Dei, qui stu*(2. Reihe)*des sobrius esse et castus et spiritualiter vivere, cuius duo cornua sunt [duo] testamenta per que potes resecare et abscidere a te omnia vicia corporalia: „Hoc est adulterium, fornicationem, avariciam, invidiam, superbiam, homicidium, detractionem, hebrietatem, luxuriam et omnem huius seculi pompam“ (Gal. 5, 19 f.). Tunc congaudent tibi angeli et omnes virtutes celorum. Cave ergo, homo Dei, ebrietatem, nec obligeris luxurie voluptate, ut non interficiaris a diabolo. „Vinum enim et mulieres apostatare faciunt homines a Deo“ (Jesus Sirach 19, 2).

III. De lapidibus quos [sic!] vocantur terobolem.

Sunt lapides igniferi in quodam monte orientis, qui grece dicuntur terobolem, masculus et femina. Isti, quando longe sunt ab invicem, ignis in eis non accenditur; cum autem casu appropinquaverit femina masculo, statim ignis accenditur ita ut ardeant omnia, que sunt circa illum montem.

Unde et vos, homines Dei, qui istam vitam geritis, separate vos longe a feminis, ne cum appropinquaveritis ad invicem, accendatur in vobis ignis ille geminus, et consumat bona que Christus contulit in vobis. Sunt enim angeli sathane qui semper impugnant iustos, non solum sanctos viros, set eciam feminas castas. Denique Sanson et Ioseph ambo per mulieres temptati sunt. Unus vicit, alter victus est. Eva et Susanna temptate sunt. Hec vicit, illa victa est. Custodiendum est igitur cor, et divinis preceptis omnimodis monendum. Nam amor feminarum quarum peccatum ab inicio cepit — id est ab Adam — usque nunc in filios inobedientie debacatur.

IV. (De serra.)

Est belua in mari, que dicitur serra, pennas habens immanes. *(fol. 134ᵃ 1)*. Hec cum viderit in mare navem velificantem, elevat pennas suas et contendit velificare cum nave. Ubi autem contendit currere contra navem stadiis XXXᵗᵃ vel XLᵗᵃ, laborem non sustinens deficit, et deponens pennas, ad se trait eas; unde vero maris iam lassum reportant eum ad pristinum locum suum in profundum.

Mare autem seculi huius figuram gerit. Naves vero iustorum habent exemplum, qui sine ullo periculo vel naufragio fide transierunt per medias huius mundi procellas ac tempestates et mortiferas vice-

Digitized by Google

runt undas, id est huius seculi contrarias potestates. Serra vero, id est illa belua, que voluit velificare cum navibus, figuram gerit eorum, qui in iniciis ceperunt quidem in operibus bonis manere, postea vero non permanentes in eis victi sunt „cupiditate, superbia, ebrietate, luxuria“ ac diversis viciorum generibus, que illos tanquam fluctuantes maris unde mergunt usque ad inferos. „Qui vero permanserint usque in finem, hi salvi erunt“ (Matth. 24, 13).

V. De caladrio.

Est volatile quod dicitur caladrius. De hoc scriptum est in Deuteronomio (Deut. 14, 18): „Non manducandum.“ Phisiologus dicit de hoc, quia totus albus est, nullam partem habens nigram. Cuius interior femur curat caliginem oculorum. Istud in atriis regum invenitur. Si quis autem est in egritudine constitutus, per hunc caladrium cognoscitur, si vivet an morietur. Si enim est infirmitas hominis ad mortem, mox, ut viderit infirmum, avertit faciem suam ab eo, et omnes cognoscunt, quia moriturus est. Si autem infirmitas eius non pertingit ad mortem, intendit faciem eius caladrius et assumit omnes infirmitates eius *(2. R.)* infra se et volat in aera solis et comburit infirmitates eius et dispergit eas et sanatur infirmus.

Caladrius igitur personam accepit Nostri Salvatoris. Totus est candidus Dominus Noster nullam habens nigri[tu]dinem, sicut ipse testatus est (Joh. 14, 30): „Venit ad me princeps huius mundi et in me non invenit quicquam;“ „qui peccatum quippe non fecit, nec inventus est dolus in ore eius“ (1. Petri 2, 22). Venit autem de excelsis celis suis ad infirmum populum Iudeorum: ille avertit faciem suam ab eis propter incredulitatem eorum. Convertit se ad nos gentes, tollens infirmitates nostras, et peccata nostra (Ps. 53, 4) portans exaltatus est in ligno crucis. „Ascendens enim in altum, captivam duxit captivitatem nostram, dedit dona hominibus“ (Eph. 4, 8). Etenim qui non crediderunt, non receperunt eum. „Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.“ (Joh. 1, 11 f.).

Set forsitan dicis, quia caladrius immundus est secundum legem. Certum est. Set et serpens immundus est, et Iohannes testatur de eo dicens, quoniam „sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, sic exaltari oportet filium hominis“ (Joh. 3, 14). Et alibi dictus est (Gen. 3, 1): „prudentior omnium bestiarum.“ Similiter et leo et aquila immunda sunt, set ille ferarum rex est et ille volatilium. Secundum ergo regnum Christo assimilata sunt, secundum rapacitatem vero diabolo. Et alia quidem multa sunt in creaturis habentia duplicem intellectum. Alia quidem sunt laudabilia, alia vituperabilia et differencia, sive morum, sive nature distancia.

Digitized by Google

VI. (De pelicano).

(fol. 134ᵇ 1) Dicit David in psalmo centesimo primo: „Similis factus sum pelicano solitudinis.“ (Ps. 102, 7). Phisiologus dicit de pelicano, quoniam amator est filiorum nimis. Cum enim genuerit natos et ceperint crescere, percutiunt parentes suos in faciem. Parentes autem eorum irati repercuciunt eos et occidunt. Tercia vero die mater eorum percuciens costam suam aperit latus suum et incumbit super pullos et effundit sanguinem suum super corpora filiorum suorum mortuorum, et sic sanguine suo suscitat eos a mortuis.

Ita et Dominus Noster Iesus Christus per Ysaiam prophetam dicit (Jes. 1, 2): „filios genui et enutrivi, ipsi autem spreverunt me.“ Genuit igitur autor et conditor tocius creature, omnipotens Dominus, nos et cum non essemus, fecit ut essemus. Nos vero e contrario percussimus eum in faciem servientes in conspectu eius creature, non creatori. Iccirco ascendit Dominus Noster Iesus Christus in altitudinem crucis et percusso latere eius exivit sanguis et aqua in salutem nostram et vitam eternam. Aqua enim est baptismi gratia, sanguis vero eius calix novi et eterni testamenti quem accipiens in sanctis manibus suis gratias agens benedixit, et dedit nobis potum in remissionem peccatorum et vitam eternam. Amen.

Ethim[ologia].

Pelicanus avis egiptia, habitans in solitudine nili fluminis, unde et nomen sumpsit. Nam canopus egiptus dicitur. Fertur pullos suos occidere et per triduum lugere, et deinde se ipsam vulnerare et aspersione sanguinis eos vivificare.

Is. Et. XII, VII, 26 (Ar. IV, 92).

Pelicanorum vero duo genera. Unum in aquis habitans, et esca eius *(2. R.)* pisces sunt. Alterum in solitudine habitans, et esca eius animalia venenata, hoc est lacerte, serpentes, cocodrilli; et vocantur latine honocrotalia, id est longa rostra habentia. Honocrotalon enim grece, longum rostrum dicitur latine.

Anlehnung an Is. Et. XII, VII, 32 (Ar. IV, 94).

VII. De nicticorace, que et noctua dicitur.

De nicticorace in eodem psalmo dicitur (Ps. 102, 7): „Factus sum sicut nicticorax in domicilio.“ Nicticorax inmundus est, et tenebras amat magis quam lucem.

Hic figuram gerit populum Iudeorum qui advenientem Dominum et Salvatorem Nostrum ad salvandum eos repulerunt eum a se, dicentes (Joh. 19, 15; Joh. 9, 29): „Nos regem non habemus, nisi cesarem, hunc autem, quis sit, nescimus.“ Et magis dilexerunt tenebras quam lucem. Tunc Dominus convertit se ad nos gentes et illuminavit nos

Digitized by Google

„sedentes in umbra mortis et tenebris“ (Jes. 9, 2). Et in regione umbre mortis lux orta est nobis. De hoc populo Salvator per prophetam dicit: „Populus quem non cognovi servivit michi.“ Et alibi: „Vocabo non plebem meam plebem meam et non dilectam meam dilectam meam“ (Hos. 2, 23; Röm. 9, 25). De illo autem populo Iudeorum qui „amaverunt magis tenebras quam lucem“ (Joh. 3, 19) dicit Dominus in psalmo (Ps. 17, 46): „filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inveterati sunt et claudicaverunt a semitis suis.“ — Nicticorax ipsa est et noctua, et est avis lucifuga, et solem videre non patitur.

VIII. De aquila.

De aquila dicit David in psalmo c. secundo (Ps. 103, 5): „Renovabitur ut aquile iuventus tua.“ Fisiologus dicit de aquila talem habere naturam: cum senuerit, gravantur ale eius et obducuntur oculi eius caligine. Tunc querit fontem aque et contra eum fontem evolat in altum usque ad etheram solis, et ibi incendit alas suas, et caliginem oculorum comburit de radiis solis. Tunc demum descendens ad *(fol. 135ᵃ 1)* fontem trina vice se mergit et statim renovatur tota, ita ut alarum vigore et oculorum splendore multo melius renovetur.

Ergo et tu, homo, sive Iudeus sive gentilis, qui vestimentum habes vetus et caligantur oculi cordis tui, quere spiritualem fontem Domini qui dixit (Joh. 3, 5): „Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu sancto, non potest intrare in regnum celorum.“ Nisi ergo baptizatus fueris in nomine patris et filii et spiritus sancti et sustuleris oculos cordis tui ad Dominum, qui est sol iusticie, non renovabitur ut aquile iuventus tua.

Ethimologia.

Aquila ab acumine oculorum dicitur. Tanti enim intuitus eius esse dicitur, ut cum super ethera elevatur, pisces in mari vel in flumine natantes videat. Sicque ab alto advolans pisces rapit et ad litus trahit.

Is. Et. XII, VII, 10 (Ar. IV, 88 f.).

Cum vero contra radios solis ponitur, visum non flectit. Denique pullos suos unguibus suspensos radio solis obicit. Et quos immobiles viderit tenere oculorum aciem contra solem, velut dignos genere conservat. Et quos viderit flectere oculos, quasi degeneres abicit.

Is. Et. XII, VII, 11 (Ar. IV, 89).

IX. De fenice.

Est aliud volatile, quod dicitur phenix. — Huius figuram gerit Dominus Noster Iesus Christus, qui dicit in Evangelio suo (Joh. 10, 18): „potestatem habeo ponendi animam meam et iterum sumendi eam.“ Propter hec verba irati sunt Iudei et volebant eum lapidare. (Joh. 31, 33).

Digitized by Google

Est ergo avis in indie partibus que dicitur phenix. De hac dicit Phisiologus, quia expletis quingentis annis vite sue intrat in lignis libani et replet utrasque alas diversis aromatibus. Et quibusdam indiciis significatur sacerdoti civitatis eliopolis mense novo, id est nisan, aut adar, id est sarmat, *(2. R.)* aut famenoht, quod est aut marcio, aut aprili mense. Cum autem hoc significatum fuerit sacerdoti, ingreditur, et implet aram de lignis sarmentorum. Cum advenerit volatile, intrat in civitatem eliopolim impletum omnibus aromatibus in utrisque alis suis. Et statim videns factam struem sarmentorum super aram, ascendit, et circumvolvens se de aromatibus ignem ipse sibi incendit et se ipsum urit. Alia autem die veniens sacerdos exustaque ligna, que composuit super aram, scrutans, invenit ibi vermiculum modicum suavissimo odore fragrantem. Secundo vero die invenit iam aviculam figuratam. Rursum tercia die veniens sacerdos invenit eam iam in statu suo integram atque factam avem fenicem. Et vale dicens sacerdoti evolat et pergit ad locum suum pristinum.

Si vero volatile hoc potestatem habet mortificandi se, quo modo stulti homines irascuntur in verbo Domini Nostri, qui ut verus homo et verus Dei filius potestatem habuit ponendi animam suam et iterum sumendi eam. Ergo sicut iam supra diximus personam accipit Salvatoris Nostri, qui de celo descendens alas suas replevit suavissimis odoribus novi ac veteris testamenti, sicut ipse dixit (Matth. 5, 17): „non veni legem solvere, sed adimplere.“ Et iterum (Matth. 13, 52): „sic erit omnis scriba doctus in reg[n]o celorum, proferens de thesauro suo nova et vetera.“

Ethimologia.

Fenix, arabie avis, dicta, quod colorem feniceum habeat, vel quod sit in toto orbe singularis et unica. Nam arabes singularem et unicam fenicem vocant. Hec quingentis et ultra annis vivens, dum se viderit senuisse, collectis aromatum *(fol. 135^{b} 1)* virgultis rogum sibi instruit et conversa ad radium solis alarum plausu voluntarium sibi incendium nutrit, sicque iterum de cineribus suis resurgit. Is. Et. XII, VII, 22 (Ar. IV, 91).

X. De huppupa.

Dictum est in lege (Ex. 20, 12): „honora patrem tuum et matrem tuam.“ Et iterum: „qui maledixerit patri et matri, morte moriatur.“ Phisiologus dicit: est avis que dicitur huppupa. Horum filii, cum viderint parentes suos senuisse, ut neque volare possint, neque videre pre caligine oculorum, tunc filii eorum evellunt vetustissimas pennas parentum suorum et linniunt oculos parentum suorum et fovent eos sub alis suis, donec recrescant penne eorum et reilluminentur oculi eorum, ita ut toto corpore suo renovari possint,

Digitized by Google

et sicut antea videre et volare. Et postea gratias illi filiis suis agunt, qui tam pie excequium sibi prebuerint. Et dicunt illis filii sui: Ecce, parentes dulcissimi, sicut vos ab infancia educastis nos et omnem laborem vestrum impendistis circa nos, eadem servicia obsequiorum in senectute vestra dependimus vobis.

Si hoc irrationabiles invicem sibi fatiunt, quomodo homines, cum sint rationabiles, parentum suorum nutrimenta reddere nolunt.

Ethimologia.

Huppupa ideo greci vocant, quod humano stercore et fetenti pascatur fimo, in sepulcris habitans. De cuius sanguine si quis inungitur, quando voluerit dormire, demones se suffocare videbit. Is. Et. XII, VII, 66 (Ar. IV, 100).

XI. De prima natura formice.

De formica ita Salomon dicit: „vade ad formicam, o piger, meditare eam, que cum sit *(2. R.)* viribus infirmior, multum sibi per estatem frumentum reponit.“

Phisiologus dicit tres naturas habere formicam. Prima eius natura est: Cum exierint de spelunca sua, ambulant ordinatim et querunt grana cuiuslibet seminis. Cum autem invenerint, cum ore apprehendunt singula grana portantes in speluncam suam. Alie vero formice, non habentes grana in ore suo, set sic vacue obviantes eis, que cibaria vehunt in ore suo, non dicunt eis: date nobis de annona vestra, sed vadunt querentes per vestigia illarum et sumunt sicut et ille, et afferunt in habitaculis suis.

Et hec dicta sunt de irrationalibus animalibus, atque infirmis reptilibus, quod tam prudenter agunt et nulla illarum stulta remanet, sed omnes argute et sapientes inveniuntur. Quanto magis ille quinque virgines rationabiles que per negligentiam suam facte sunt stulte, debuerunt imitari illas quinque sapientes et sumere sibi oleum in vasis suis, unde ille sumpserunt, et non per desidiam ac per stulticiam suam peterent ab illis sapientibus dicentes: „date nobis de oleo vestro“ (Matth. 25, 8). O tam fatua stulticia. Iam si ex se intelligere non potuerunt, ut exinde peterent unde et ille pecierunt, vel formicarum sollertiam imitari debuissent. Sed dum de alienis vasis oleum sperant, superveniente sponso remanserunt stulte cum lampadibus extinctis.

De secunda natura.

Quando recondit grana in spelunca sua, dividit illa per medium, ne in hieme defecta semina illata infundat.

Et tu, homo Dei, scripturam veteris testamenti divide in duas partes *(fol. 136ª 1)*, hoc est secundum istoriam et secundam spiritualem intellectum. Divide veritatem a figura, separa spiritualia a

Digitized by Google

corporalibus, transcende aliter (sic! — a litera —) [ad] spiritum vivificantem, ne littera germinante in die hiemis, id est in die iudicii, fame pereas. Dicit enim Apostolus: „lex spiritualis est, non corporalis“ (Röm. 7, 1), „litera occidit, spiritus autem vivificat“ (2. Kor. 3, 6). Et alibi: „hec autem omnia in figura contingebant illis, scripta sunt autem propter nos, in quos finis seculorum devenerunt“ (1. Kor. 10, 11). Judei enim literam sequentes spiritualemque spiritum contempnentes facti sunt prophetarum interemptores, ac sui domini interfectores. Et ideo nunc usque fame pereunt, quia in manibus paleis vacantes triticum perdiderunt. Tu vero, homo Dei, rade virgas et tolle corticem earum, ut oves tue mundos et spirituales fructus, non carnales ac viciosus faciant fetus. Hec autem omnia spiritualibus sunt credentibus intelligibilia, non credentibus autem non intelligibilia.

De tercia natura.

Tempore messis inter segetes ex odore intelligit, an ordeum sit spica illa, an triticum. Si autem fuerit ordeum, transit ad aliam spicam et odoratur. Et cum senserit, quia spica tritici est, ascendit sursum in spicam et tollens inde granum, deponit et portat (eum) in habitaculum suum. Ordeum enim brutorum animalium cibus est. Denique Iob dicit (Hiob 31, 10): „pro tritico providi ordeum michi.“

Hoc est doctrinam hereticorum. Ordeicee enim sunt et pro scopulis abitiende que dirumpunt et interficiunt animas hominum hereses. Fuge igitur Sabellium et Donatum et Fotinum et omnes qui ex arriana stirpe tanquam ex utero draconis, serpentini fetus prodeunt. Horum omnium dogmata falsa, atque inimica *(2. R.)* sunt veritati.

Ethim[ologia].

Formica dicta, quod ferat micas farris, cuius sollercia multa est. Providet enim in futurum et preparat sibi, quod in hieme comedat, et eligit triticum, ordeum vero non tangit. Dum pluit super frumentum eius, totum eicit. Dicuntur et in ethiopia esse formice ad formam canis. Harenas aureas pedibus eruunt, quas custodiunt, ne quis auferat, auferentesque ad necem persecuntur. Is. Et. XII, III, 9 (Ar. IV, 62 f.).

Set hi qui volunt ab eis aurum arripere, accipiunt equas cum iuvenibus pullis et fame affligunt eas tribus diebus. Deinde religant pullos earum ad litus aque, que currit inter eos et formicas, et equas agunt trans aquam illam impositis clitellis super dorsum earum. Que ubi vident trans flumen herbam virentem, pascuntur per campos ultra flumen. Formice autem videntes scrinia et clitellas super dorsum earum, comportant aureas harenas in eas, volentes eas ibi recondere. Vesperascente autem die, postquam saciate sunt

Digitized by Google

eque, et auro honuste, audiunt pullos suos hinnientes propter famem et ita regrediuntur ad eos cum auro multo. Quelle?

Est aliut animal, quod formicaleon dicitur, quod est vel formicarum leo, vel certe formica pariter et leo. Est animal parvum, formicis satis infestum, ita ut se in pulvere abscondat et formicas frumenta gustantes (sic! — gestantes —) interficiat. Proinde autem leo et formica vocatur, quia aliis animalibus ut formica est, formicis autem leo.

Is. Et. XII, III, 10 (Ar. IV, 63).

XII. De sirenis.

Ysaias dicit (Jes. 13, 22): „syrena et demonia stabunt in Babilonia, et herinatius et honocentaurus habita*(fol. 136b 1)*bunt in domibus eorum.“ Sirene, inquid (sic!), animalia sunt mortifera. Phisiologus describit: usque ad umbilicum figuram hominis habent, extrema vero pars usque ad pedes volatilis habet figuram, et musicum quoddam ac dulcisonum melodie cantum canunt ita ut per suavitatem vocis auditus hominum a longe navigantium mutent et ad se trahant, ac nimia suavitate modulationis prolixe aures ac sensus eorum delinientes in sompnum vertant. Tunc deinde, cum viderint eos gravissimo sompno sopitos, invadunt eos et dilaniant carnes eorum, ac sic persuavis voces soni (sic! — persuasione vocis —) ignaros et insipientes homines decipiunt et mortificant sibi.

Sic et illi qui deliciis huius seculi et pompis et theatralibus voluptatibus delectantur, tragediis ac comediis dissoluti velut gravi sompno sopiti adversariorum preda efficiuntur.

Onocentaurum duabus naturis constare Phisiologus asserit, id est superior pars hominis similis, inferioris vero partis membra sunt nature valde agrestis.

Huic assimilantur vecordes atque bilingues homines informes (sic! — biformes —) dicente Apostolo (2. Tim. 3, 5): „habentes autem promissiones, pietatis virtutem autem abnegantes.“ Propheta David dicit (Ps. 49, 21): „homo cum in honore esset, non intellexit; comparatus est iumentiş insipientibus, et similis factus est illis.“

Ethim[ologia].

Sirenas tres fingunt fuisse, ex parte virgines et ex parte volucres, habentes alas et ungulas. Quarum una voce, alia tibiis, tercia litera (sic! — lyra —) canebat. Que indoctos navigan*(2. R.)*tes pro cantu naufragio periclitari faciebant.

Is. Et. XI, III, 30 (Ar. IV, 35).

Secundum veritatem autem meretrices fuerunt, que transeuntes deducebant ad egestatem, et his dicuntur inferre naufragia. Alas

Digitized by Google

autem habuisse et ungulas, quia amor et volat et vulnerat. Que ideo in fluctibus commorasse dicuntur, quia fluctus in Venerem creaverunt. Is. Et. XI, III, 31 (Ar. IV, 35 f.).

Onocentaurus autem vocatur, eo quod media specie sit homo, media vero asinus. Is. Et. XI, III, 39 (Ar. IV. 39).

XIII. De herinatio.

Phisiologus dicit, quod herinatius figuram habet porcelli lact[a]ntis. Hic deforis totus est spinosus. Sed tempore vindemiarum ingreditur in vineam, et ubi viderit uvam bonam, ascendit super vitem et exacinat uvam illam, ita ut cadant omnes racemi in terram. Deinde descendit et volutat se super illos ita ut omnes racemi figantur in spinis eius, et sic portat escam filiis suis.

Tu, homo Dei, custodi diligenter vineam tuam et omnes fructus eius spirituales, ne te occupet istius seculi sollicitudo et temporalium bonorum voluptas, et tunc spinosus diabolus, dispergens omnes fructus tuos spirituales, figat illos in spinis suis, et fiat anima tua nuda, vacua et inanis sicut pampinus sine fructu, et post hec gratis clamabis dicens: „Vineam meam non custodivi," sicut in Canticis Canticorum (1, 6) scriptura testatur. Congruenter igitur Phisiologus naturas animalium contulit et contexuit intelligentie spiritualium scripturarium.

Ethim[ologia].

Hericius animal est spinosum, quod exinde dicitur nominatum, eo quod subrigit se, quando spinis clauditur, quibus undique protectus est contra insidias omnes. Nam statim, ut aliquid presens senserit, primum se subrigit ac sic in globum conversus in sua se arma recolligit. Cuius prudentia quidem talis est: cum absciderit uvam de vite, volutat se super eam et fixos in spinis racemos portat natis suis. Is. Et. XII, III, 7 (Ar. IV, 62).

XIV. De Ibice.

Est volatile, quod dicitur ibex. Hoc secundum legem inmundum est pre omnibus volatilibus, quoniam morticinis cadaveribus semper vescitur et iuxta littora maris, vel fluvium, vel stagnorum die noctuque ambulat querens aut mortuos pisciculos, aut aliquid cadaver, quod ab aqua iam putridum iam marcidum eiectum fuerit foras. Nam in aquam ingredi timet, quia natare nescit, nec dat operam, ut discat, dum mortuis cadaveribus delectatur, et ideo non potest in altitudine aque ingredi, ubi mundi pisciculi morantur, ut inde sibi capiat cibum; set semper deforis oberrat et circuit refugiens puriores et altissimas aquas, unde possit mundus vivere.

Digitized by Google

Tu vero, christiane homo, qui ex aqua et spiritu sancto iam renatus es, ingredere ad intelligibiles et spirituales aquas, id est in altitudinem ministrorum Christi, et inde sume tibi spirituales et mundissimos cibos, quos enumerat Apostolus dicens (Gal. 5, 22): „fructus autem spiritus est: c(l)aritas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.“ Quod si nolueris in alcioribus aquis ingredi et de ipsis spirituales escas tibi capere et sumere, set circu[m]iens deforis et oberrans mortuis et fetidissimis cadaveribus səginaris, de quibus dicit Apostolus (Gal. 5, 19): „Manifesta autem sunt opera carnis, que sunt fornicatio, immundicia, luxuria, idolatria et ebrie*(2. R.)*tates, avaritia, cupiditas;“ hec sunt carnales et mortifere esce, quibus infelices anime nutriuntur ad penam. Disce igitur natare super hoc „mare spaciosum et magnum manibus. Sunt illic reptilia quorum non est numerus“ (Ps. 104, 25). Nec aliter ea superabis, nisi per signum crucis. Et cum oras, extende manus tuas ad celos, quia virtus crucis semper defendit orantes et dicentes: „Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine“ (Ps. 4. 7). Nam et sol ipse, nisi extenderit radios, non lucet. Volucres, nisi expanderint alas suas, volare non pos[s]unt. Naves, nisi levaverint vela sua, vento flante non movebuntur. Denique „dum Moises deprimebat manus suas, convalescebat Amalech“ (Exod. 17, 11). Sic igitur (in hoc) sancti in hoc figurantur tanquam aves pertranseuntes perveniunt ad regna celorum et quietissimum portum. Nescientes autem spiritualiter natare, set terrenis ac mortalibus operibus vacantes, exclusi sunt a regno celorum, mortui cum mortuis pereunt, sicut Dominus in Evangelio (Matth. 8, 22): „dimitte, inquid, mortuos sepelire mortuos suos.“ Convenienter igitur Phisiologus dicit.

Ethim[ologia].

Ibex, avis nili fluminis, qui semetipsam purgat, figens rostrum suum in anum suum, aqua fundens. Hec serpentium ovis vescitur et morticinis, et ex eis gratissimum cibum nidis suis deportat.

Is. Et. XII, VII, 33 (Ar. IV, 94).

XV. De Vulpe.

Vulpis est animal dolosum et nimis fraudulentum et ingeniosum. Cum esurit et non *(fol. 137^b 1)* invenit quod manducet, vadit ubi est rubra terra et volvit se super eam, ita ut quasi cruentata appareat tota, et proicit se in terram et volvit se super eam quasi mortua, et retinet intra se flatum suum et ita se inflat, ut penitus non respiret. Aves vero videntes eam sic inflatam et quasi cruentatam iacentem, et linguam eius aperto ore foris eiectam, putant eam esse mortuam et descendunt et sedent super eam. Illa vero rapit eas et devorat.

Vulpis vero figuram habet diaboli. Omnibus enim secundum carnem viventibus fingit se esse mortuum. Cum vero intra guttur

Digitized by Google

suum peccatores habeat. Spiritualibus tamen et perfectis in fide vere mortuus et ad nichilum redactus est. Qui autem volunt exercere opera eius, ipsi desiderant saginari e carnibus eius, id est diaboli, que sunt „adulteria, fornicationes, idolatrie, veneficia, homicidia, furta, falsa testimonia“ et cetera his similia, dicente Apostolo (Röm. 8, 13): „Scientes hoc quia, si secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu opera carnis mortificaveritis, vivetis.“ Qui autem carnaliter vivunt diabolicis operibus occupati ab eo tenentur obnoxii, et participes eius efecti, simul cum illo peribunt, dicente David (Ps. 63, 11): „Intrabunt in inferiora terre, tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt.“ Denique et Herodes assimilatus est vulpi dolose, dicente Domino (Luc. 13, 32): „Ite, dicite vulpi illi.“ Et alibi scriba audiens a Salvatore (Luc. 9, 58): „Et vulpes foveas habent.“ Et in Canticis Canticorum (2, 15): „Capite nobis vulpes pusillas, exterminantes vineas.“ Bene itaque Phisiologus asserit de vulpe.

Ethim[ologia].

Vulpis dicta, quasi volupis. *(fol. 137b, 2. R.)* Est enim volubilis pedibus et numquam recto itinere, set tortuosis anfractibus currit. Est vero fraudulentum animal insidiisque decipiens. Nam dum non [h]abuerit escam, fingit se mortuam sicque descendentes quasi ad cadaver aves rapit et devorat.

Is. Et. XII, II, 29 (Ar. IV, 58).

XVI. De Monoceros, quomodo capitur.

Est animal, quod grece dicitur monoceros, latine vero unicornis. Phisiologus dicit unicornem hanc habere naturam: Pusillum animal est simile hedo, acerrimum nimis, unum cornu habens in medio capite. Et nullus omnino venator eum capere potest. Sed hoc argumento eum capiunt: Puellam virginem ducunt in illum locum ubi moratur et dimittunt eam in silvam solam. At ille visa virgine complectitur eam et dormiens in gremio eius comprehenditur ab exploratoribus eius et ex[h]ibetur in palatio regis.

Sic et Dominus Noster Iesus Christus, spiritualis Unicornis, descendens in uterum virginis per carnem ex ea sum[p]tam, captus a Iudeis, morte crucis dampnatur, qui invisibilis cum patre hactenus habebatur. De quo David dicit (Ps. 29, 6): „et dilectus sicut unicornis filius meus“ Rursum in alio psalmo ipse de se dicit (Ps. 92, 11): „Et exaltabitur sicut unicornis cornu meum.“ Et Zacarias dicit (Luc. 1, 69): „Suscitavit eum cornu salutis in domo David pueri sui.“ Et in Deuteronomio Iacob benedicens tribum Ioseph (Deut. 33, 17): „primitivos stari (sic!) species eius, cornua tanquam cornua unicornis.“ — Quod autem unum cornu habet in capite significat hoc quod dicit Salvator (Joh. 10, 30): „Ego et pater unum sumus.“ „Capud Christi Deus“ secundum Apostolum (1. Kor. 11, 3). — Acerrimum vero

Digitized by Google

quod dicit eum, id est quod neque principatus, neque potestates, neque throni, neque dominationes intelligere potuerunt, *(fol. 138a 1)* nec infernus tenere valuit. — Quod autem dicitur pusillum animal, propter incarnationis eius humilitatem, dicente ipso (Matth. 11, 29): „Discite a me, quia mitis sum et humilis corde". — In tantum autem acerrimus, ut nec ille subtilissimus diabolus intelligere aut investigare potuerit, set sola voluntate patris descendit in uterum virginis Marie pro nostra salute; „et verbum caro factum est, et habitavit in nobis" (Joh. 1, 14). — Quod autem est hedo similis unicornis, et Salvator Noster secundum Apostolum (Röm. 8, 3) „factus in similitudine carnis peccati, et de peccato dampnavit peccatum in carne." Bene ergo de unicorne dictum est.

Ethim[ologia].

Rinoceros a Grecis vocatur, latine interpretatur in nare cornu[1]). Idem est et monoceros, id est unicornis, eo quod unum cornu in media fronte habeat, pedum quatuor, ita acutum, ut quicquid inde petierit, vel ventilaverit, perforet. Nam et cum elephantis sepe certamen habet et in ventre vulneratum prosternit. Is. Et. XII, II, 12 (Ar. IV, 53).

Tante autem fortitudinis esse dicitur, ut nulla virtute venantium capiatur. Sed sicut asserunt qui naturas animalium scripserunt, virgo puella proponitur, que venienti sinum apperit, in quo ille omni ferocitate deposita caput ponit sicque soporatus velut inermis capitur. Is. Et. XII, II, 13 (Ar. IV, 53).

XVII. De Castore.

Est animal, quod dicitur castor, mansuetus nimis, cuius testiculi in medicina proficiunt ad diversas invaletudines. Phisiologus exposuit naturam eius dicens, quia cum investigaverit eum venator, sequitur post eum. Castor vero, cum respexerit post se et viderit venatorem venientem post se, statim morsu abscidit testiculos suos et proicit eos ante faciem venatoris et sic fugit. Venator veniens colligit eos et ultra iam non sequitur eum, set revertitur. Si autem rursus evenerit, ut alter venator perquirens inveniat et sequitur *(2. R.)* eum, ille videns evadere non posse, erigit se et demonstrat virilia sua venatori. Venator vero, cum viderit eum non habere testiculos, discedit ab eo.

Sic et omnis, qui secundum mandatum Dei conversatur et caste vult vivere, abscidit a se omnia vicia, et omnes impudicos actus proiciat post se in faciem diaboli. Tunc ille videns eum nichil suorum habentem confusus discedit ab eo. Ille vero vivit in Deo et non capitur a diabolo qui dicit (Ps. 18, 38): „persequens comprehendam eam". Nichil igitur diaboli homo Dei habere debet, ut fisus

[1]) Var.: unum cornum.

Digitized by Google

cum Deo dicere audeat (Joh. 14, 30): „Venit princeps mundi huius et in me non habet quicquam.“ Monet enim nos Apostolus et dicit: „Cui vectigal, vectigal reddite; cui tributum, tributum; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem“ (Röm. 13, 7). In primis ergo diabolo reddantur que sua sunt, hoc est abrenuntians illi et omnibus operibus eius malis; tunc demum ex toto corde conversus ad Deum repellat a se opera carnis, quod est vectigal et tributum diaboli, et adipiscatur fructus spirituales, id est „caritatem, gaudium, pacem, pacientiam, bonitatem, fidem, mansuetudinem, continentiam, castitatem in bonis operibus, id est in elemosina, in visitationibus infirmorum, in curis pauperum, in laudibus Dei, in orationibus, in gratiarum accione“ et ceteris que Dei sunt.

Ethim[ologia].

Castores a castrando dicti sunt; nam testiculi eorum apti sunt medicaminibus propter quos, cum persecuti eos fuerint venatores, ipsi se castrant, morsibus virilia sua amputantes. De quibus Cicero in Scauriana: „Redimunt se ea par*(fol. 138b, 1. R.)*te corporis, propter quem maxime expetuntur.“ Et Iuvenalis: „Qui se eunuchum ipse facit, cupiens evadere damno testiculorum.“ Ipsi sunt et fibri, qui eciam pontici canes vocantur. Is. Et. XII, II, 56 (Ar. IV, 56).

XVIII. De hiena.

Est animal quod grece dicitur hiena, latine vero belua, de qua lex dicit: „non manducabis hienam, neque quod simile est illi, quoniam inmundum est.“ De quo eciam per Ieremiam prophetam dictum est (Jer. 12, 9): „Spelunca hiene hereditas mea facta est.“ Phisiologus dicit de ea, quoniam duas naturas habet hiena, aliquando quidem masculus est, aliquando vero femina, et ideo inmundum animal est.

Cui similes sunt filii Israel, quoniam ab initio quidem servierunt Deo vivo, postea vero deliciis et luxurie dediti idola coluerunt. Propter hoc Propheta inmundo animali comparavit synagogam. Sed et quicumque inter nos circa voluptatem et avaritiam studium habentes secundum Apostolum (1. Tim. 6, 10) radix est omnium malorum et idolorum servitus, huic ipsi immunde belue comparantur, cum nec viri nec femine sunt, id est nec fideles nec perfidi; set sunt sine dubio. De quibus ait Salomon (Jac. 1, 8): „Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis.“ Et Salvator in ewangelio (Matth. 6, 24) dicit ad eos: „Non potestis duobis dominis servire, id est Deo et mammone.“

Ethim[ologia].

Hiena lapidem in oculis habet nomine hienam, que, si quis sub lingua sua tenuerit, futura predicere creditur.

Is. Et. XVI, XV, 25 (Ar. IV, 283).

Digitized by Google

XIX. De ydro.

Aliud est animal in nilo flumine, quod dicitur idrus. Phisiologus dicit de eo, quoniam satis est animal inimicum cocodrillo, et hanc habet naturam et con *(2. R.)* suetudinem: Cum videt cocodrillum in litore fluminis dormientem aperto ore, vadit et volvit se in limum luti quo possit facilius illabi in faucibus eius. Cocodrillus igitur desubitatus vivum transglutit eum. Ille autem dilanians omnia viscera eius exit vivus de visceribus eius.

Sic ergo mors et infernus figuram habent cocodrilli, qui inimicus est Domini Salvatoris Nostri. Ideoque Dominus Noster Iesus Christus assumens terrenam carnem nostram descendit ad infernum et dirumpens omnia viscera eius eduxit omnes, qui ab eo devorati detinebantur in morte, sicut testatur Evangelista (Matth. 27, 52): „Et monumenta aperta sunt et resurexerunt multa corpora sanctorum." Mortificavit igitur ipsam mortem et ipse vivens resurrexit a mortuis et insultat illi per Prophetam dicens (Hos. 13, 14): „O mors, ero mors tua, morsus tuus ero, inferne." Et alibi (1. Kor. 15, 54): „Absorta est mors in victoria Christi; ubi est mors contricio tua, ubi est mors aculeus tuus?"

Ethim[ologia].

Idrus coluber in aqua vivens. Greci enim idor aquam vocant, inde idrus aquatilis serpens. Cuius ictu percussi obturgescunt, quem morbum boam dicunt, eo quod fimo bovis remediatur.

Is. Et. XII, IV, 21, 22 (Ar. IV, 67).

Ydra dicta draco multas aquas colens, quales sunt in lerna palude provincie archadie. Hec latine exedra dicitur, quod uno ceso tria capita resurgebant. Set hoc fabulosum est. Nam constat ydram locum fuisse evomentem aquas, vastantem civitatem, in qua uno meatu clauso multa erumpebant. Quod Hercules videns loca illa igne excussit et meatus clausit. Nam ydra aqua dicta est.

Is. Et. XII, IV, 23 (Ar. IV, 67 f.).

Cocodrillus a croceo colore dicitur. Na[s]citur in nilo flumine, animal quadrupes, terra et aqua vivens. Longitudine *(fol. 139ᵃ, 1)* plerumque viginti cubitorum, dentium et unguium inmanitate armatum. Cuius cutis tante duricie dicitur, ut, quamvis fortium lapidum ictibus percutiatur, nichil ledatur.

Is. XII, VI, 19 (Ar. IV, 78).

Nocte in aquis, die humi quiescit.

Hic dum invenit hominem, si poterit eum vincere, comedit, et semper plorat illum.

Solus autem pre omnibus animalibus superiora oris movet, inferiora vero immota manent.

Is. Et. XII, VI, 20 (Ar. IV, 79).

Digitized by Google

De stercore eius unguentum fiebat, unde vetule et rugose meretrices faciem suam perunguebant, et ruge extergebantur, fiebantque pulcre, donec sudor fluens illud a facie lavaret. Unde Oratius poeta: „Stercore fucatus cocodrilli."

Ova sua in terra fovet, masculus et femina vices fovendi servant. Is. Et. XII, VI, 20 (Ar. IV, 78).

Hunc ydrus deglutitus dentibus et unguibus interimit et vivus inde exit.

XX. De caprea.

Est animal, quod grece dicitur dorcon, latine vero caprea. De hac Phisiologus dixit, quod amat altos montes, pascitur autem in convallibus montium. Est autem providum animal eminus de longe previdens, ita ut si viderit subito homines in alia regione ambulantes, statim cognoscat, an venatores sunt, an viatores.

Sicut et Dominus Noster Iesus Christus amat excelsos montes, hoc est prophetas et apostolos et patriarcas, sicut in Canticis Canticorum dixit (H. L. 2, 8 f.): „Ecce fratuelis meus sicut caprea venit, saliens super montes, transiliens super colles." Et sicut caprea in convallibus pascitur, sic et Dominus Noster Iesus Christus in ecclesia pascitur, quoniam bona opera christianorum et elemosine fidelium esce sunt Christi, qui dixit (Matth. 25, 35): „Esurivi, et dedistis michi manducare, sitivi, et de*(fol. 139a, 2. R.)* distis michi potum," et reliqua que secuntur. Convallia vero montium, que sunt per universum mundum, ecclesie per diversa loca intelliguntur, sicut dicit in Canticis Canticorum: „Convertere fratuelis meus et similis esto capree hinnuloque cervorum supra montes convallium" (H. L. 8, 14). — Quoniam acutissimam habet aciem oculorum caprea et procul omnia perspicit et a longe cognoscit, significat Salvatorem Nostrum dicente scriptura (1. Kön. 2, 3): „quoniam deus scientiarum dominus est." Et in alio psalmo CXXXVII: quoniam „excelsus Dominus et humilia respicit et alta a longe cognoscit". Et omnia que sunt divina magestate creavit et condidit et regit et videt et prospicit et antequam cordibus nostris dictu, factu ac cogitatu aliquid oriatur, Dominus ante previdet et cognoscit. — Denique sicut et caprea longe cognoscit venantium sedulos, ita et Dominus Noster Iesus Christus previdet et prescivit insidias prodi[c]toris sui Iude. Dixit enim Iude (Luc. 22, 48): „Osculo filium hominis tradis." Bene ergo de dorchon exposuit Phisiologus.

Ethim[ologia].

Capros et capreas a carpendis virgultis quidam dixerunt, alii quod captent aspera. Nonnulli a crepitu crurum eas vocatas, que sunt agrestes capree, quas greci, quod acutissime videant, dorcas appellaverunt. Is. Et. XII, I, 15 (Ar. IV, 40 f.).

Digitized by Google

Morantur enim in excelsis montibus, et tamen de longinquo vident omnes, qui veniunt. Is. Et. XII, I, 16 (Ar. IV, 41).

XXI. De honagro.

Est animal quod dicitur onager. Phisiologus dicit de onagro, quia viscesimo quinto die mensis famenoth, quod est marcius, duodecies in nocte rugit, similiter et in die, et ex hoc *(fol. 139b, 1)* cognoscitur, qui[a] equinoctium est diei, vel noctis, et numerum horarum a rugibus onagri per singulas cognoscunt horas semel rugientis.

Onager igitur figuram habet diaboli, quia cum scierit noctem et diem coequare, hoc est cum viderit diabolus populum qui ambulabat in tenebris et umbra mortis modo converti ad Dominum vivum et coequari fidei patriarcharum et prophetarum, sicut coequatur nox cum die: iccirco rugit nocte ac die per singulas horas querens escam suam quam perdidit. Neque enim rugit onager, nisi quando sibi escam querit, sicut dicit Iob (Hiob 6, 5): „Numquid sine causa clamabit onager agrestis, nisi pabulum desiderans?“ Similiter et apostolus Petrus de diabolo dicit (1. Petr. 5, 8): „Adversarius noster circuit querens sicut leo quem devoret.“

Ethim[ologia].

Onager interpretatur asinus ferus, „on“ quippe greci asinum vocant, „agrian“ ferum. Hos affrica habet magnos et indomitos et in deserto vagantes. Singuli autem feminarum gregibus presunt. Nascentibus masculis zelant et testiculos morsibus detruncant. Is. Et. XII, I, 39 (Ar. IV, 45).

XXII. De simia.

Similiter simius figuram habet diaboli. Sicut enim simius capud quidem habet, caudam vero non habet, et licet totus turpis sit, tamen posteriora eius magis turpia et horribilia sunt.

Sic et diabolus caput quidem habet, caudam vero non habet; hoc est: initium habuit, cum esset angelus in celis; set quia hipocrita et dolosus fuit intrinsecus, perdidit caput. Nec habet caudam, id est, sicut periit ab inicio in celis, ita et in fine totus peribit, sicut dicit preco *(2. R.)* veritatis Paulus (2. Thess. 2, 8): „quem Dominus interficiet spiritu oris sui.“

Ethim[ologia].

Simius grecum nomen est, eo quod pressis naribus sit, facie turpis, feda rugis, licet et capellarum sit pressum habere nasum. Alii dicunt simias latine vocari, eo quod multam eis similitudo rationis humane sentitur; set falsum est.

Is. Et. XII, II, 30 (Ar. IV, 58).

Digitized by Google

Hi elementorum sagaces: nova luna exultant, media et cava tristantur. Fetus, quos amant, ante se gestant, neglecti circa matrem herent. Horum genera quinque, ex quibus circopetici caudas habent. Simia enim cum cauda est, quam quidam duram[1]) vocant.

Is. Et. XII, II. 31 (Ar. IV, 58).

Set spinge villose sunt, comis et mammis prominentibus, dociles, ad feritatem obliviose.[2]) Cinocephali et ipsi similes sunt canibus, longam caudam habentes et faciem ad modum canis, unde et sic nuncupantur.

Is. Et. XII, II, 32 (Ar. IV, 58).

Satyri facie admodum acuta[3]) et gesticulantis more inquietantur. Callitrices toto pene aspectu a ceteris distant. Sunt enim cum facie producta, et longa barba, et lata cauda.

Is. Et. XII, II, 33 (Ar. IV, 58).

XXIII. De fulica et ubi conversatur.

Est volatile, quod dicitur fulica, satis intelligibile, et prudentissimum super omnia volatilia. Cadaveribus non vescitur, non de aliunde alibi pervolans atque aberrans, sed in uno loco commoratur et permanet usque ad finem, et ibi escam suam habet et requiescit; sicut David dicit (Ps. 104, 17): „fulice domus dux est eorum."

Sic ergo omnis homo fidelis secundum Dei voluntatem conservatur et vivit. Non huc atque illuc per diversa oberrans circumvolat, sicut faciunt heretici, nec singularibus desideriis ac voluptatibus delectatur corporalibus, sicut illa volucris, que carnibus non vescitur, set semper in uno loco eodemque se continet et quiescit, id est in ecclesia catholica et apostolica, et ibi permanet usque in *(f. 140ᵃ, 1. R.)* finem sicut in evangelio Dominus dicit (Matth. 10, 22): „Qui autem perseveravit usque in finem, hic salvus erit." Ibi ergo se continet, ubi Dominus „inhabitare facit unanimes in domo" (Ps. 68, 7); et ibi habet cotidianum panem immortalitatis, potum vero preciosum sanguinem Christi reficiens se sanctis epulis et super mel et favum suavissimis eloquiis Domini. Non enim „in solo pane vivit homo, set in omni verbo Dei" (Matth. 4, 4).

Ethim[ologia].

Fulica dicta, quod caro eius leporinam sapiat, lagos enim lepus dicitur. Unde et apud grecos lagis vocatur. Est autem avis stagnensis, habens nidum in medio aque, vel in petra, quam aqua circumdat; maritimoque

[1]) Var.: cruram.
[2]) Var.: feritatis oblivionem.
[3]) Var.: grata.

Digitized by Google

semper delectatur profundo. Dum tempestatem persenserit, fugiens in vado ludit.

Is. Et. XII, VII, 53 (Ar. IV, 98).

XXIV. De panthera.

Est animal quod dicitur panthera, varium quidem colore, set preciosum valde, nimis mansuetum. Phisiologus dicit de eo, quoniam inimicum solum draconem habet. Cum ergo comederit et saciaverit se diversis cibis, recondit se in speluncam suam, ponit se et dormit. Post triduum exurgit a sompno et statim emittit rugitum magnum. Cum autem rugitus exierit de ore eius, odor suavitatis exit super omnia aromata. Cum autem audierint vocem eius omnes bestie, que prope sunt et que longe, congregant se omnes et sequuntur suavitatis odorem qui exit de ore eius. Solus autem draco, cum audierit vocem eius, timore contra[h]itur et fulcit se in terraneis cavernis terre, ibique non ferens vim suavis odoris, in semetipsum contractus obtorpescit et remanet ibi immobilis atque inanis tanquam mortuus. Cetera vero animalia sequuntur pantheram quocumque vadit.

Sic et Dominus Noster Iesus Christus, verus pantera, omne humanum genus quod diabolo captum fuerat et morti tenebatur obnoxium, per incarnationem ad se trahens (Eph. 4, 8) „captivam duxit captivitatem", *(2. R.)* sicut dicit David propheta (Ps. 68, 19): „Ascendens in altum cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus." — Panthera enim omnia capiens interpretatur. Sicut Dominus Deus Noster, ut diximus, videns humanum genus a demonibus captum et idolis mancipatum atque omnes gentes et populos predam diaboli effectos, descendens de celis eripuit nos de captivitate diaboli et sociavit nos bonitati sue et pietatis paterne filios adportavit et implevit illud quod Propheta ante predixerat (Hos. 5, 14): „Ego", inquid, „sicut panthera factus sum [sicut] Effrem, et leo domui Iude idolis servienti." Ergo tunc vocationem gentium et Iudeorum significabat. — Et unum animal varium est panthera, sicut dictum est per Salomonem (Weish. 7, 22) de Domino Iesu Christo, qui est Dei sapientia, spiritus intelligibilis, sanctus unicus, multiplex, subtilis, mobilis, certus, incomitatus, verus, suavis, amans, bonum, aptus, qui nichil boni vetat fieri, clemens, firmus, stabilis, securus, omnia potens, omnia prospiciens, omnia faciens, mobilior sapientia," et reliqua. Quod autem sapientia Christus sit, doctor veritatis Paulus dicit (1. Kor. 1, 23 f.): „Nos autem predicamus Christum crucifixum, Iudeis quidem scandalum, gentibus autem stulticiam, ipsis autem vocatis Iudeis atque gentibus Christum Dei virtutem et Dei sapientiam." — Et quia speciosum est animal panthera dicit David de Christo (Ps. 45. 3): „Speciosus forma pre filiis hominum." — Et quia mansuetum animal nimis est, Ysaias dicit (Jes. 62, 11): „Gaude et letare, filia Syon, predica, filia Ierusalem, quoniam rex tuus venit tibi mansuetus et salvans." — Et quia cum manducaverit et saciatus fuerit,

Digitized by Google

statim quiescit et dormit, sic et Dominus Noster Iesus Christus, postquam saciatus fuit a iudaicis illusio*(fol. 140b, 1)*nibus, id est a flagellis, alapis, iniuriis, contumeliis, spinis, sputis, manibus in cruce suspendentes, clavis configentes, felle et aceto potantes, insuper et lancea transforrantes; his igitur, tot et tantis iudaicis muneribus saciatus, Christus obdormuit et requievit in sepulcro et descendit in infernum et religavit illic draconem magnum et inimicum omnium nostrum. — Quod autem die tercio exurgit a sompno illud animal, et emittit rugitum grandem, et flagrat odor suavitatis ex ore eius, sic et Dominus Noster Iesus Christus tercia die resurgens a mortuis sicut dicit Psalmista (Ps. 77, 65): „excitatus est tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus a vino." Et statim exclamavit voce magna ita ut audiretur (Ps. 19, 5) „in omni terra exiens sonus eius" in fines orbis terre verba illius dicentis (Joh. 16, 33): „gaudete etiam et nolite timere, quoniam ego vici mundum." Et iterum: „Pater sancte, quos dedisti michi, custodivi, et nemo ex eis periit, nisi filius perdicionis" (Joh. 17, 12). Et iterum: „Vado ad patrem meum et patrem vestrum, et ad deum meum et ad deum vestrum" (Joh. 20, 17). Et iterum: „Veniam ad vos et non dimittam vos orphanos" (Joh. 14, 3; 14, 18). Et in fine Evangelii ait: „Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consumationem seculi" (Matth. 28, 20). — Et sicut de ore panthere odor suavitatis egreditur, et omnes qui prope sunt et qui longe, id est Iudei, qui aliquando sensum bestiarum habebant, qui prope erant per legem, et gentes, que longe erant sine lege, audientes vocem eius et repleti et recreati suavissimo odore mandatorum eius sequuntur eum, clamantes cum Propheta et dicentes (Ps. 119, 103): „Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine, super mel et favum ori meo." De his odoribus man*(2. R.)*datorum eius dicit David: „Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in eternum" (Ps. 45, 3). Et Salomon in canticis canticorum dicit de eo: „Odor unguentorum tuorum super omnia aromata" (H. L. 4, 10). Unguenta enim Christi que alia esse possunt, nisi mandata eius, que sunt super omnia aromata. Sicut enim presens aromatum species reddit odorem suavitatis, sic et verba Domini, que de ore eius exeunt, letificant corda hominum, qui eum audiunt et secuuntur. „Unguentum exinamtum nomen tuum, propterea adolescentule dilexerunt te nimis et atraxerunt te post se in odore unguentorum tuorum currimus" (H. L. 1, 2 f.). Et paulo post (H. L. 1, 3): „introduxit me rex in cubiculum suum." Oportet nos quam cicius sicut adolescentulas, id est renovatas in baptismo animas, post unguenta mandatorum Christi currere, de terrenis ad celestia transmigrare, ut nos introducat rex in palacium suum, id est in ierusalem civitatem suam et montem omnium sanctorum; et cum meruerimus intrare illuc dicamus: „Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei; sicut audivimus, ita et vidimus in civitate Domini virtutum" (Ps. 87, 3). Bene de panthera Phisiologus dicit.

Digitized by Google

Ethim[ologia].

Panther dictus, sive quod omnium animalium sit amicus, excepto dracone, sive quod sui generis societate gaudeat et ad eandem similitudinem, quicquid accipit, reddat. Pan enim grece omne dicitur latine. Bestia minutis orbiculis superpicta, ita ut oculatis ex flavo circulis nigra vel alba distinguatur varietate.

Is. Et. XII, II, 8 (Ar. IV, 52).

Hec semel omnino parturit, cuius cause ratio manifesta est. Nam cum utero matris concreti catuli maturis ad nascendum viribus pervenerint, odiunt matris temporum moras[1]). Itaque oneratam fetibus vulvam tanquam obstantem partui unguibus lacerant, *(fol. 141ᵃ, 1)* et effundit illa partum, seu pocius dimittit dolore cogente. Ita postea corruptis matricis sedibus genitale semen infusum, non est acceptum, set irritum resilit foras. Nam Plinius dicit, quod animalia cum acutis unguibus frequenter parere non possunt. Viciantur enim intrinsecus se moventibus catulis. Is. Et. XII, II, 9 (Ar. IV, 52).

Draco maior est omnium serpentium super terram. Hunc greci dracantam vocant. Unde et derivatum est in latinum, ut draco diceretur. Qui sepe a speluncis abstractus in aerem, concitatur et lucet propter eum aer. Est autem cristatus, ore parvo, et arcis fistulis, per quas trahit spiritum, et linguam exerit. Venenum (sic! vim) autem non in dentibus, set in cauda habet, et verbere pocius, quam morsu nocet. Is. Et. XII, IV, 4 (Ar. IV, 64).

Innoxium est enim a veneno; huic ad mortem faciendam non est venenum necessarium, quia si quem ligaverit, occidit. A quo nec elephans tutus est sui corporis magnitudine. Nam circa semitas, per quas elephantes solito gradiuntur, delitescens crura eorum nodis illigat, ac suffocatos perimit. Gignuntur autem in ethiopia, et in india in ipso incendio iugis estus. Is. Et. XII, IV, 5 (Ar. IV, 64).

XXV. Cetus, et quomodo decipiuntur naves ab eo.

Est belua in mari, que dicitur grece aspido celone, latine autem aspido testudo. Cetus ergo est magnus, habens super corium suum tanquam sabulum quod est iuxta litus maris. Hec in medio pelagi elevat dorsum suum per undas maris sursum, ita ut navigantibus nautis non aliut credatur esse quam insula, precipue cum viderint totum illum locum sicut in omnibus litoribus maris sabulo esse repletum. Putantes autem insulam esse, applicantes navem suam iuxta eam et descendentes, figunt palos et alligant naves. Deinde ut co-

[1]) Var.: odiunt materni partus moras.

Digitized by Google

quant sibi cibos post laborem, faciunt ibi focos super arenam quasi *(2. R.)* super terram. Illa vero, ut senserit ardorem ignis, subito mergit se in aquam et navem secum trahit in profundum maris.

Sic paciuntur omnes qui increduli sunt et quicumque ignorant diaboli astucias spem suam ponentes in eum et operibus eius se obligantes simul merguntur cum illo in gehennam ignis ardentis: ita est astucia ejus.

Secunda eius belue natura hec est. Quando esurit, aperit os suum et quasi quemdam odorem bene olentem exalat de ore suo. Cuius odorem, ut senserint mox minores pisces, congregant se intra ora ipsius. Cum autem repletum fuerit os eius diversis piscibus pusillis, subito claudit os suum et transglutit eos.

Sic paciuntur omnes, qui sunt modice fidei voluptatibus ac lenociniis quasi quibusdam odoribus diabolicis adescati, subito absorbentur ab eo sicut pisculi minuti. Maiores enim se cavent ab illo et neque appropiant illi. Sic ergo qui Christum semper in sua mente habent, magni sunt apud eum, et si sunt perfecti, agnoscunt multiformes astucias diaboli et custodiunt se ab eo et magis resistunt; ille vero fugit ab eis. Dubii autem et modice fidei homines, dum vadunt post voluptates et luxurias diaboli, decipiuntur, dicente scriptura: „Unguentis et variis odoribus delectantur et sic confringitur a ruinis anima." (Spr. 27, 9.)

Ethim[ologia].

Cetus dicitur ob immanitatem corporis. Sunt enim ingentia corpora et genera beluarum, equalia montibus in tantum, ut eciam ibi naves quasi ad insulam applicentur, sicut ille qui accepit Ionam. Cuius alvus tante magnitudinis fuit, ut putaretur infernus, dicente ipso Iona propheta: „exaudivit me de ventre inferni."

Is. Et. XII, VI, 8 (Ar. IV, 76 f.).

XXVI. De perdice.

(fol. 141^b, 1) Est volatile, quod dicitur perdix, fraudulentum nimis, sicut dicit sanctus Ieremias propheta de eo (Jer. 17, 11): „Clamavit perdix et congregavit que non peperit, faciens sibi divicias non cum iudicio; in dimidio autem dierum eius relinquet ea, et in novissimis suis erit stultus." Phisiologus dicit satis astutum esse perdicem, quia aliena ova diripit, hoc est perdicis alterius, et corpore fovet, set fraudis sue fructum habere non potest, quia cum duxerit pullos alienos, amittit eos, quoniam, ubi matris sue vocem audierint que ova generavit, statim evolant et conferunt se ad suos parentes naturales. Quo munere adepto atque amore derelicto ille, qui incassum alienis suos effudit labores, fraudis sue precio multatus, remanet stultus et solus et inanis.

Huius exemplum imitatus est diabolus, qui generationes eterni creatoris rapere co[n]tendit et, si quos insipientes et sensus proprii

Digitized by Google

vigore carentes aliquo modo poterit congregare, fovet illos illecebris corporalibus. At ubi vox Christi audita fuerit a parvulis sumentes sibi alas spirituales per fidem, evolant et se Christo commendant, qui statim eos potentissimo quodam paterno munere et amore sub umbra alarum suarum ipse suscipit et matri ecclesie dat nutriendos.

Ethim[ologia].

Perdix de voce nomen habet, avis dolos[a] atque immunda, nam masculus in masculum insurgit et obliviscitur sexum libido preceps. Adeo autem fraudulenta, ut alterius perdicis ova diripiens foveat, set fraus fructum non habet. Nam pulli, dum vocem proprie genetricis audierint, naturali quodam instinctu hanc, que eos fovit, relinquunt, et ad eam, *(2. R.)* que genuit, revertuntur.

Is. Et. XII, VII, 63 (Ar. IV, 100).

XXVII. De mustela, et quia per os concipit, per aures vero generat.

De mustela precipit lex non manducare, quia immundum animal est. Phisiologus dicit, quoniam mustela semen masculi per os accipit et sic in utero habet; tempore vero pariendi per aures generat.

Sic aliquanti fidelium libenter quidem accipiunt verbi divini semen, set inobedientes effecti pretermittunt et dissimulant, que audierunt. Isti tales non solum mustele camparantur, set eciam aspidi, que obturat aures suas et non audit vocem incantantium.

Phisiologus dicit, quoniam aspis hanc habet naturam: Si quando advenerit aliquis homo ad speluncam, ubi habitat aspis et precantat eam omnibus carminibus suis, ut exeat de cavernis suis; illa vero, ne audiat vocem incantantis, ponit capud suum ad terram et unam quidem aurem premit in terram, alteram vero aurem de cauda sua obturat.

Tales sunt istius mundi homines divites, qui unam quidem aurem suam deprimunt in terrenis desideriis, aliam vero, posterioribus peccatis suis peccata addentes, obturant, et ita fit, ut non audiant vocem incantantis. Et hoc quidem solum aspides faciunt, quod aures obturant. Isti vero et oculos excecant terrenis cupiditatibus et rapinis, ita ut nec auribus audire velint divina mandata et servare, nec oculis attendere in celum et cogitare de illo, qui est super celum et facit bonitatem et iusticiam. Ili qui nunc eum audire nolunt, audient eum in die iudicii dicentem (Matth. 25, 41): „Discedite a me, maledicti, in ignem eternum, qui preparatus est diabolo et angelis eius.“

Ethim[ologia].

Mustela dicta, quasi mus longa, nam telon grece longum dicunt. Hec ingenio est subdola; in domibus enim, ubi nutrit catulos suos, de loco ad locum trans*(fol. 142ᵃ, 1)*fert mutataque sede locat. Serpentes eciam et mures per-

Digitized by Google

sequitur. Duo autem sunt genera mustelarum. Alterum enim silvestre est, distans magnitudine, quam greci ictidas vocant, alterum in domibus oberrat. Falso autem oppinantur qui dicunt mustelam ore concipere, aure effundere partum.

Is. Et. XII, III, 3 (Ar. IV, 61).

De aspide, et quare sic vocatur.

Aspis vocata, quod morsu venena immittit et spargit. As enim grece venenum dicunt, et inde aspis, quod morsu venenato interimat. Huius diversa sunt genera et species dispares ad nocendum. Fertur autem aspis, cum ceperit pati incanta[n]torem, qui eam quibusdam carminibus propriis evocat, ut eam de caverna sua prevocet, cum illa exire noluerit, unam aurem in terram premere, alteram cauda obturare et premere, atque ita voces illas magicas non audiens, non exit ad incantantem.

Is. Et. XII, IV, 12 (Ar. IV, 65 f.).

Dipsa genus aspidis qui latine stala (sic! — situla —) dicitur quia, quem momorderit, siti periit.

Is. Et. XII, IV, 13 (Ar. IV, 66).

Prialis, genus aspidis [dicta], eo quod sompno necat. Hunc sibi cleopatra apposuit et ita morte quasi sompno soluta est. Is. Et. XII, IV, 14 (Ar. IV, 66).

Emorois aspis nuncupatur, eo quod sanguinem sugit. Qui ab eo morsus fuerit, ita dissolutis venis, quicquid vite est, per sanguinem effundit. Grece enim sanguis emath dicitur. Is. Et. XII, IV, 15 (Ar. IV, 66).

Prester aspis semper ore patente et vaporante currens. Cuius poeta sic meminit: „oraque distendens avidus fumantia prester.“ Quem percusserit, distenditur enormique corpulentia necatur et tabefacta putredo sequitur. Is. Et. XII, IV, 16 (Ar. IV, 66).

Aspis quidem si momorderit hominem, statim eum consumit, ita ut liquefiat totus in ore serpentis.

Is. Et. XII, IV, 17 (Ar. IV, 66).

XXVIII. De assida.

Item est animal, quod dicitur assida, quod grece stricte camelon, latine struc*(2. R.)*io dicitur. De isto animali Ieremias propheta dicit (Jer. 8, 7): „et assida in celo cognovit tempus suum.“ Phisiologus dicit hoc quasi voluptarium esse. Habet quidem pennas, sed non volat, sicut cetere aves, pedes autem habet similes camelo, et ideo grece structucamelon dicitur. Hoc ergo animal, cum venerit tempus illud, ut ova pariat, elevat oculos suos in celum et videt, si stella illa virgilia ascendit. Non enim ponit ova sua in terra, nisi quando illa stella oritur in celo. De qua stella dicit Iob (Hiob 9, 9):

Digitized by Google

„Qui facit virgiliam et septentrionalem et dextrum et promptuaria austri.“ Tempore enim suo oritur virgilia in celo, id est quando messes florent et estas est, circa mensem iunium. Tunc assida, cum viderit virgiliam ascendisse in celum, fodit in terram et ibi ponit ova sua et cooperit ea de sabulo in heremio. Cum autem ascenderit de illo loco, statim obliviscitur, et non redit ad ova sua. Est enim animal obliviosum, et ideo tempore isto generat ova sua et cooperit illa de harena, ut, quod illa factura esset sedens super ova sua et ex fetu suo eduxeret pullos suos, hoc ei tranquillitas temporis et aeris temperies prestare videatur, ut estate calefacta arena excoquat ova sua et educat pullos.

Si ergo assida agnoscit tempus suum et elevat oculos suos in celum et obliviscitur posteritatis sue, multo magis homo fidelis debet oblivisci terrena et sequi celestia dicente Apostolo (Phil. 3, 13): „que retro sunt obliviscens ad destinatum contendo bravium superne vocationis.“ Et Dominus in evangelio dicit: „qui diligit patrem aut matrem plus quam me, aut filios, non est me dignus“ (Matth. 10, 37). Et illi qui excusabat se propter sepulturam patris dicit: *(fol. 142 b, 1)* „dimitte mortuos sepelire mortuos suos, tu autem vade, sequere me“ (Matth. 8, 22). — Structio greco nomine dicitur quoddam animal, quod in similitudinem avis pennas habere videtur, de terra tamen altius non elevatur. Ova sua fovere negligit, set proles tantummodo fetu (sic! — fotu) pulveris animantur.

Is. Et. XII, VII, 20 (Ar. IV, 91).

XXIX. De turture.

Est volatile, quod dicitur turtur. Scriptum est de ea (H. L. 2, 12): „Vox turturis audita est in terra.“ Phisiologus de turture dicit feminam valde coniugem suum diligere et caste cum illo vivere et ipsi soli fidem servare, ita ut si quando evenerit, ut masculus eius aut ab accipitre, aut ab aucupe capiatur, hec alteri masculo se non iungat, set ipsum semper desiderat et ipsum per singula momenta sperat et ipsius recordatio et desiderium usque ad mortem perseverat.

Audite itaque, omnes anime fidelium, quanta castitas in modica avicula invenitur. Quicumque tamen personam turturis in vultu anime tenetis, huius castitatem imitemini. Talis est enim sancta ecclesia, que postquam vidit virum suum crucifixum et die tercia resurrexi[s]se et in celos ascendisse, alii viro non coniungitur, set ipsum desiderat et ipsum sperat et in illius amore et caritate usque ad mortem perseverat dicente Domino Nostro Iesu Christo (Matth. 10, 22): „qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.“ Similiter eciam et propheta David hortatur et dicit in psalmo (Ps. 27, 14): „viriliter age et confortetur cor tuum et expecta Dominum.“

Digitized by Google

Ethim[ologia].

Turtur de voce vocatur. Avis pudica, et semper in montium iugis, et in deserti solitudinibus commoratur; tecta enim hominum et conversacionem fugit, et commoratur in silvis. Cuius e contrario columba *(2. R.)* hospicia hominum diligit et domorum semper est blanda habitatrix. Is. Et. XII, VII, 60 (Ar. IV, 99).

XXX. Cervus, et quomodo de foramine extrahit serpentem.

Item in psalmo quadragesimo primo (Ps. 42, 2): „Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus." Phisiologus dicit, quoniam, ubi agnoverit cervus serpentem esse, implet os suum aqua et effundit in foramine et cum quodam sp[i]ramine oris sui attrahit serpentem foras, et conculcans interficit eum.

Ita et Dominus Noster Iesus Christus videns inimicum diabolum in omni generis humani natione inhabitantem, habens in semetipso divine sapientie fontem, cuius non potest antiquus draco suferre sermones. Cum enim vidisset in regione gerasenorum, ultro cucurrit ille cum omni exercitu demoniorum in homine uno dicens ei: „Quid michi et tibi, fili Dei? Venisti ante tempus torquere nos?" Et interrogavit eum Dominus: „Quod tibi nomen est?" Et respondit: „legio michi nomen est." Et rogabat Iesum ne imperaret illis, ut irent in abissum. Erat autem ibi grex porcorum multorum pascentium. Demones autem rogabant eum dicentes: „Si scis nos, mitte nos in gregem porcorum." Et ait illis Iesus: „Ite." At illi exeuntes ab homine introierunt in porcos. Et ecce magno impetu abiit totus grex per preceps in mare quasi duo milia et suffocati sunt in aquis" (Matth. 8, 29 f.). Ecce quomodo audiens diabolus vocem Domini in preceps, fugit cum omnibus suis. De quo in novissimis diebus testatur Apostolus dicens (2. Thess. 2, 8): „quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui." Montes apostolos dicti et prophetas, cervos homines fideles qui per apostolos et prophetas et sacerdotes perveniunt ad agnitionem Christi, sicut scriptum est in psalmo (Ps. 121, 1): „levavi oculos meos ad montes, unde ve*/fol. 143ᵃ, 1)* niet auxilium michi."

Ethim[ologia].

Cervi dicti a poton ceraton, id est, a cornibus. Cerata enim grece cornua dicuntur. Hi serpentium inimici, cum se gravatos infirmitate persenserint, spiritu narium eos extra[h]unt de cavernis, et superata eorum pernicie veneni pabulo reparantur. Diptamnum herbum ipsi prodiderunt. Nam eius pastu excuciunt acceptas sagittas.

Is. Et. XII, I, 18 (Ar. IV, 41).

Miratur autem sibilum fistularum. Rectis auribus acute audiunt, summissis nichil. Si quando immensa flumina, vel maria transnatant, capita clunibus pre-

Digitized by Google

cedentium superponunt sibique invicem famulantes, nullum laborem ponderis sentiunt.

Is. Et. XII, I, 19 (Ar. IV, 41).

XXXI. De salamandra.

Est reptile quoddam, quod grece dicitur salamandra, latine vero stilio. Hoc simile est lacertule pusille, colore vario. De quo Salomon dicit (Spr. 30, 28): „Sicut stilio habitant in domibus regum.“ Phisiologus dicit de eo quoniam, si casu inciderit undecunque in caminum ignis ardentis, vel in fornace ardentis ignis, aut in quocumque incendio, statim extinguitur ignis.

Isti sunt iusti et mirabiles homines Dei. Sic fuerunt in camino ignis ardentis Ananias, Azarias, Misael, et non tetigit eos ignis omnino quos intactos atque incontaminatos exisse de camino ignis propheta Daniel declarat (3, 27). Paulus apostolus testatur dicens (Hebr. 11, 33 f.): „fide omnes sancti extingunt virtutes ignis, obstruxerunt ora leonum.“ Ita et omnis quicumque ex fide sua crediderit in Deo et in operibus bonis perseveraverit, transit gehennam ignis et non tangit eum flamma. De quo scriptum est in Isaia propheta (Jes. 43, 2): „Si transieris per ignem, flamma non te comburet.“

Ethim[ologia].

Salamandra dicta, quod contra incendia valeat. Cuius inter omnia venenata vis maxima est. Cetera enim singulos feriunt, hec plurimos pariter interimit. Nam si arbori *(143a, 2. R.)* irrepserit, omnia poma inficit veneno, et eos qui ex eis pomis ederint, occidit. Qui eciam, si in puteum ceciderit, vis veneni eius potantes interficit. Ista contra incendia repugnans, sola animalium ignes extinguit. Vivit enim in mediis flammis sine dolore, et consummatione, et non solum non uritur, set eciam extinguit incendium.

Is. Et. XII, IV, 36 (Ar. IV, 70).

XXXII. De columbis et de diversis coloribus earum.

Phisiologus dicit multis ac diversis coloribus esse columbas. Est color sturminus, niger, albus, stephanitus, braggiotus, aerius, cinericius[1]), aurosus, melenus. Rufus est ergo super omnes primus, qui omnes regit, et placat, et cotidie eciam agrestes congregat in columbario suo.

Ipse est ergo primus, qui nos precioso sanguine suo redemit et intra unam ecclesie domum de diversis nationibus congregavit. Non Moises, non Helias, non aliquis prophetarum aut patriarcarum, set

[1]) Var.: cenerius.

Digitized by Google

ipse a patre veniens salvit nos et per passionem suam nos redemit a morte perpetua, sicut Iohannes dicit (Joh. 1, 32): „vidi celum apertum et spiritum Dei descendentem tanquam columbam“ missum a Deo, qui vult „homines omnes salvos fieri et ad agnicionem veritatis venire“ (1. Tim. 2, 4.). Ipse ergo volens humanum genus congregare in ecclesia sancta catholica et apostolica misit spiritum sanctum „multipharie multisque modis loquentem“ (Hebr. 1, 1) per legem et prophetas ad omne humanum genus, sicut diversus color columbarum est, id est, propter obscuros sermones et interpretabilem scientiam.

Deinde struninus color significat diversitatem prophetarum duodecim. Aerius vero color Heliam significat, quoniam raptus est per aera curru usque ad celum. Cinericius autem color significat Ionam prophetam qui Ninivitis predicat in cilicio et *(fol. 143b, 1)* cinere penitentiam agendam, quo facto concessum est ei a Domino presidium vite. Aurosus color non nisi tres pueros significat, qui spiritum Dei verum habentes regi Nabugodonosor dixerunt[1]): „Scito, rex, quia nos deos tuos non colimus, neque ymaginem auream, quam erexisti, non adorabimus.“ Meleneus vero color est Heliseus, qui suscepit melotem a magistro suo Helia eunte in celum, et dupplici spiritu eius honorari meruit.[2]) Albus autem est beatus Iohannes, precursor Christi, habens candorem sacri baptismatis, de quo propheta Isaias dicit (Jes. 1, 16 ff): „lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, discite benefacere, et si fuerit peccata vestra ut feniceum, ut nix dealbabuntur.“ De Iohanne et Dominus testatur dicens (Matth. 11, 11): „Amen dico vobis, non fuit maior inter natos mulierum Iohanne baptista.“ „Lex enim et prophete usque ad Iohannem predicaverunt, iste demonstravit Christum“ (Luc. 16, 16). „Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi“ (Joh. 1, 29.) Stephanitus vero Stephanus est, primus martir, qui post acceptionem sancti spiriti Christum in dextera patris videre meruit. Rubeus vero color significat Domini passionem propter quod et Raab meretrix iam tunc coccineum signum misit de quo in Iericho salvata est. De quo in Canticis dicit (H. L. 4, 3): „sicut sparcium colorem rubicundum labia tua.“ Et in evangelio dicit (Joh. 19, 2): „induerunt Iudei Domino clamidem coccineam.“ Et Ysayas dicit (Jes. 63, 1): „quis est iste, qui ascendit de edom, rubrum vestimentum eius ex bosra?“ Et coccineum ligatum est in manu Zare filii Iude ab obstetrice, cum adhuc in utero matris esset. Et in Canticis Canticorum (H. L. 5, 10): „fratruelis meus candidus et rubicundus“; candidus in virginitate, rubicundus in martirio, per quod omnes credentes in eum precioso sanguine redempti sumus in nomine *(f. 143b, 2. R.)* patris et filii et spiritus sancti, qui est Deus benedictus in secula seculorum; amen.

---

[1]) Dan. 3, 18.
[2]) 2. Könige 2, 7—14.

Digitized by Google

Ethim[ologia].

Columbe dicte, quod earum colla ad singulas conversiones colorem mutent. Aves mansuete, et hominum mansiones conversantes, ac sine felle, quas antiqui Venerias nuncupabant, eo quod nidos frequentant, et osculo amorem concitant. Is. Et. XII, VII, 61 (Ar. IV, 99).

Palumbes, avis casta, ex moribus appellatur, quod comes sit castitatis. Nam dicitur, quod amisso corporali consortio est solitaria, nec carnalem copulam ultro requirat.

Is. Et. XII, VII, 62 (Ar. IV, 99 f.).

XXXIII.

De columbis et de dracone et umbra arboris.

Item aliud dictum est de ipsis columbis. Arbor quedam est in partibus Indie, que grece peredixion, latine vero circa dexteram. Cuius fructus dulcis est nimis et valde suavis. Columbe autem satis delectantur in istius arboris gratia, quoniam de fructu eius reficiuntur et sub umbra eius requiescunt et ramis eius proteguntur. Est autem draco crudelis inimicus columbarum, et quantum columbe timent draconem et fugiunt ab eo, tantum ille draco evitat et pertimescit illam arborem, ita ut nec umbre illius appropinquare ausus sit. Set dum insidiatur columbis ille draco, ut rapiat aliquam earum, de longe considerat illam arborem. Si umbra illius arboris fuerit in parte dextera, se facit ille in parte sinistra. Si autem fuerit umbra illius in parte sinistra, ille fugiens in parte dextera se facit. Columbe autem scientes inimicum suum draconem timere illam arborem et umbram illius et omnino nec leviter appropiare illi posse, ideo ad illam arborem confugiunt et ibi se commendant, ut salve esse poss[i]nt ab insidiis adversarii earum. Dum ergo in illa arbore fuerint et in ipsa se continuerint, nullo modo potest eas capere draco. Si autem invenerit aliquam ex eis vel leviter segregatam ab arbore, *(fol. 144a, 1)* vel extra umbram illius, statim eam rapit et devorat. Et hec quidem refert Phisiologus de columbis.

